ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

A. L. M.

CONSTANTINO HUGENIO
Polyhistori
Johannes Cabeliavius S.D.

Ex annexis ad Invictissimum Principem videbis
illico, quorsum opem tuam implorem. Magnæ au-
daciæ est, tantum Virum, quantum Te Dij Batavis
dedêre, [illegible] caducarum rerum negotijs sollici-
tare. Quod etsi satis ponderare novi, eò tamen potis-
sima fortunarum nostrarum portio inclinat ac propen-
det, ut, qui hodie pietatem tuam & candorem
modis omnibus provocemus, planè sit necesse. Inte-
grum triennium in tractu Bremensi, non sine
grandi studiorum jactura, sæpe etiam cum vitæ pe-
riculo, ego & suavissima mea Conjux obhæsimus.
Unico biduo absolvi posset, quicquid litis ibi no-
bis restet. Sed, quia peregrini sumus, nunc spe,
nunc metu, prout solet in judicio, inde trahimur,
maceramur inde. Id autem ne iterum fiat, seque-
strare placuit verecundiam, teque per nostram ro-
gare amicitiam, ne dedigneris pro me & meis
secundo intercedere apud Illustrissimum Principem,
Patriæ Patrem. Et hoc ipsum quoque meo, ceu
nomine expetit Celeberrimus Rivetus, Vir tam mei
amans atque studiosus, ut nihil hac in parte præsti-
teris tuo Cabeliavio, quod non idem sibi præstitum putârit.
Qui hasce Excellentiæ tuæ exhibet, est rerum no-
strarum administrator. is, quicquid debebitur, mea
vice solvet. Tu verò, æternum me inde ob-
strictum tibi & devinctum habebis.

Hug. 37.

qui ut semper divinas animi & ingenij tui dotes admi„
ratus sum, ita quoque hactenus conatus, qua tandem
ratione meum erga te adfectum luculenter probare
possem. cujus testandi occasio dum mihi vel claudi„
cat, vel omnino deficit, pergo, quod unum possum,
tuus vivere, tuus mori. Ut finiam, te peraman„
ter rogo, sic agas, ut, praeter res & negotia, etiam
personam meam, te probante, Gloriosissimus Prin„
ceps Reverendissimo Archiepiscopo nostro commendet.
id si obtinuero, obtinuero, quo in vita nihil mihi
gratius acciderit. Vale, meum Decus, decus
Patriae, & amare persevera. Ultrajecti.
X. Novemb. MDCXXXVI.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 5
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1502

Illustri & Magnifico
Viro, D.D. Constantino Hugenio,
Polyhistori,
Domino de Zuilichem,
Illustrissimo Principi Auriaco
ab Intimis Consilijs & Secre-
tis, &c.
Domino, fautori, ac Patrono suo
æternum colendo.

Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 5
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1502